



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 5. Lingua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## §. 4. Mores.

BIBACES vulgò creduntur, & helluones Germani: certè quæ gentes in Septentrionem vergunt, magis abdomini deditæ sunt. Hospitales reuerâ sunt, & in externos satis faciles. Imò ditissimi quique Stabularij sunt, magnæque in hospites suos fidei. Hyeme hypocauftis vtuntur, ex quibus rarò exeunt frigore hîc supra modum sæuiente. Castissimæ si vsquam fœminæ; & verò adulteria hîc seuerissimè vindicantur. Musici quoque habentur optimi, omnesque ad cantum nati. Matrimonia sic inter se contrahunt, vt ordo semper feruetur, numquam nobilis ducet vxorem plebeiam, nec comes nisi comitis filiæ coniungetur. Magnanimi sunt omnes Germani, & ad sanguinem effundendum paratissimi; pedites suos *Landskernercht* vocant, nos Galli *Lansquenetz*, quæ vox seruum regionis sonat; Equites *Reiter* appellant, nos *Reîtres*, quorum furorem hæretico bello sensimus, & repressimus. Vrbes agrè propugnant ob vxores plurimas, & impedimenta, in acie se fortiter gerunt, & ad internecionem sæpe depugnant, sed deficientibus cibariis statim contabescunt. Addicti sunt exquisitoribus operibus, & ab hac parte se ingeniosos præbent. Primus in ære sculpisse ferrur opilio quidam Bergensis *Bocholdus* nomine. Inuenisse tormentum bellicum, & nitratum puluerem ante annos 300. dicitur Monachus quidam *Bertoldus Niger*, vulgò *Schwarz*. Credunt & Artem Typographicam ante annos 300. à *Ioanne Gutenberg* nobili Moguntino excogitatam esse: vt fileam exquisita horologia, & automata ad nos indidem missa.

## §. 5. Lingua.

GERMANICA lingua, seu Teutonica, vna est ex quatuor linguis latissimè patentibus, diciturque *God*: & primùm in tria idioma distribuitur, *verum Teutonicum, Saxonicum, & Danicum*. Saxonicum iterum duplex, *Superius, & Inferius*; nempe quo vtuntur Germani trans, & cis Mœnum. Saxonicum duplex, *verum Saxonicum* quo vtuntur incolæ maioris Saxonix, *Anglicum* quo Angli, & cultiores Scoti, vt suprâ notauimus. Danicum denique separatur in *verum Danicum*, quo Dani; *Noruegicum*,

quo Noruegi, & Islandi; & *Suecicum*, quo omnes Sueci loquuntur.

§. 6. *Religio.*

VERÆ Religioni olim addictissimi fuere Germani, & qui huic adhærent eam constantissimè profitentur: vulgò tamen Religionem potius Principis, quàm suam sequuntur. Primùm ab Hussitis, Taboritis, & Picardis vexata est, sed superiori sæculo longè funestius per Martinum Lutherum Apostatam Monachum, quem superbia, & libido ab Ecclesiâ diuulsit. Sæuiit & eodem tempore inter Heluetios Zuinglius factionis quoque suæ caput, qui etiam cum Luthero exercuit inimicitias. At quot mala hinc exorta sunt? quot hæreses ex Lutheranâ hydrâ pullularunt? legatur Florimundus Ræmundus in hæresi nascente: ubi etiam obseruat Lutherum ipsum miratum esse prolem suam, & pesti cuius auctor ipse fuerat remediũ frustra quæsiuisse. Nunc in plerisque locis principis tantùm viger Religio. Lutherani etiam Ecclesiis præficiuntur, vt Archiepiscopatibus Magdeburgensi, & Bremensi, Episcopatibus Halberstadiensi, Verdensi, & aliis. Per Societatem nostram potissimùm vera Religio stetit, cuius primipilus olim Petrus Canisius vir spectatæ iuxtà doctrinæ, ac pietatis.

§. 7. *Politia.*

SUPREMVM caput habet Imperatorem Augustum, aliquando Imperij candidatũ Cæsarem vno tantùm gradu ab Imperio disjunctum. Exortum est Imperium hoc in Carolo Magno, mox in stirpe Gallicâ seruatum vsque ad Conradum primum, ex quo cœpit eligi à proceribus Imperij, donec sub Othone III. aut vt alij malunt post Fridericum secundum, ius suffragij ad septem Electores contractum est. Locus electionis olim incertus erat; nam Otho I. Aquisgrani; 2. Vormatiæ; 3. Romæ selectus fuerat, postea additus fuit Francofurti ad Mœnum per Bullam Auream quam Carolus IV. emisit in Comitibus Norimbergensibus. Selectus Imperator coronabatur olim Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonensi coronâ ferreâ, cuius loco nunc substituta est aurea cum lamina ferrea inserta, quæ asseruatur ibidem Aquisgrani. Gladius verò orbis, & paludamentum visuntur Norimbergæ, vnde hæc anti-